


1712


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
ET
CHRISTO
ECCLESIAE
VE
RI
TAS

Viro doctissimo ac praestantissimo,

Fr. Luecke,

S. Theologiae et Philosophiae Doctori,
illiusque Professori in Georgia Augusta
Ordinario etc. etc.,

Summe Venerando,

has studiorum primitias omni, qua par
est, reverentia ac observantia

consecravit

auctor.

CAR. FRID. CONR. REINECKE,
AHLDENSIS,
SEMINARII REGII HOMILETICI ET SOCIETATIS THEOLOGICAE GOTTINGENSIS SODALIS,

DE

CONSTANTI ET AEQUABILI JESU CHRISTI

INDOLE ET INGENIO, DOCTRINA AC DOCENDI RATIONE,

SIVE

COMMENTATIO

DE

EVANGELIO JOHANNIS

CUM

MATTHAEI, MARCI ET LUCAE EVANGELIIS CONCILIATO.

Πάντα δοκιμάζετε· τὸ καλὸν κατέχετε.
1. Thessal. V. 21.

HANNOVERAE,
IN BIBLIOPOLIO AULICO HELWINGIANO
MDCCCXXVII.

Viris

Summe Venerandis,

Fautoribus, Doctoribus

et

Amicis suis,

hunc libellum

pio gratoque animo

dedicat

Auctor.

Praefatio.

Saepenumero cogitanti mihi de refutandis dubitationibus, quas nuperrime vir doctissimus Bretschneider in libro: „Probabilia de evangelii et epistolarum Joannis, apostoli, indole et origine etc. Lips. 1820. in 8. maj.“ excitaverat, quae maximi momenti in tota theologia dogmatica esse mihi videbantur, nihil sane evenire potuit felicius, quaestione Ordinis Theologorum in hac alma Georgia Augusta, summe venerandi, quarto die mensis Junii 1825 proposita juvenibus rerum theologicarum studiosis tractanda:

> „Utrum Jesus Christus, qualis in Evangelio Joannis describitur, *indole* et *ingenio* plane diversus sit ab eo, quem reliqua Canonica Evangelia exhibent, an quicquid hi diversi scriptores de eo referunt, optime conciliari possit?“

Qua occasione data, meum de his rebus judicium, virorum multis nominibus mihi summa pietate colendorum, arbitriis subjiciendi, haud mora nostram avide arripui quaestionem. Plurimos hanc rem tractantes auctores ad eum finem perlegi et ex iisdem

multa, ad materiam propositam spectantia, excerpsi, praecipue ex introductionibus virorum nostrorum doctiss. Eichhornii et V. B. Ständlinii, Schmidt, Haenlein, Hug, aliorumque, quos infra nominabo. Cum Bretschneiderii „Probabilia" legissem, miratus sum, jam tam multos doctos viros contra eum scripsisse, quorum scripta fere haec sunt:

1) *Hemsen, J. T.:* „Die Authentie der Schriften des Evangelisten Johannes untersucht etc." Schleswig 1823. in 8.

2) *Crome, F. G.:* „Probabilia haud Probabilia, oder Widerlegung der von Hrn. Bretschneider gegen die Echtheit und Glaubwürdigkeit des Evangel. und der Briefe des Joh. erhobenen Zweifel." Eine gekrönte Preisschrift. Leyden u. Leipzig 1824. gr. 8. („Der Verf. hat diese Uebersetzung, die ohne sein Wissen gemacht ist, desavouirt und will selbst eine verbesserte besorgen.")

3) *Schott, H. A.*, Progr.: „examinantur dubitationes quaedam de authentia Ev. Jo. nuperrime ex prioribus quatuor capitibus a Bretschneidero excitatae," Jenae 1820. in 4. (28. pagg.)

4) *Kaiser, Th. Ph. Ch.*, Commentatt. 3.: „de apologeticis evang. Joannei consiliis authentiam ejus commonstrantibus," part. I. II. et III. Erlang. 1821, 1824 et 1825. in 4.

5) *Stein, C. G.:* „authentia Evang. Jo. contra Bretschneiderum dubia vindicata." Brandenburgi 1822. in 8. min.

6) *Calmberg, A. Th.:* „de antiquissimis patrum pro evangelii Joannis αὐθεντίᾳ testimoniis," commentatio. Hamburgi 1822. in fol. min.

7) *Usterii, Leonh.*, „commentatio critica, in qua Ev. Joann. genuinum esse, ex comparatis IV. evangeliorum narrationibus de coena ultima et passione Jesu Christi ostenditur." Turici 1823. in 8.

9) *Sartorius*: „über die Aechtheit des Joh. Evang." (in Zimmermann's Monatsschrift für Prediger Bd. 1. St. 5. S. 457 ff.) [vertheidigt auch die äussern Zeugnisse für die Aechtheit.]

10) *Geisse, F. J.*, „Paradoxa über hochwichtige Gegenstände des Christenthums. Cassel 1823. in 8. S. 70—126. („Nonnulla, quae disquisitioni sequenti in „Bretschneideri Probabilia" etc. praemittenda esse videbantur." pag. 70—92. — „Quam sit non necessarium, Bretschneideri sententiam, in libro „Probabilia" etc. propositam, refelli." pag. 93—126.)

[11) *Olshausen*: „die Echtheit der vier kanonischen Evangelien aus der Geschichte der zwei ersten Jahrh. erwiesen." Königsberg 1823. in 8. (447 S.)]

Praeterea videantur judicia de Bretschn. Probab. in diariis:

1) Götting. Gelehrte Anzeigen, 1820. St. 136. (auctore Eichhornio).

2) Neue Theolog. Annalen, 1820. 2ter Band S. 722—765. [Wachler].

3) Heidelberger Jahrbücher, 1821. erste Hälfte, 2tes Stück, S. 112—142. (scripsit Paulus).

4) *Bengel's* neues Archiv für die Theologie, Bd. 1. S. 1. ff.

5) *Röhr's* critische Prediger-Bibliothek, Bd. 1. S. 678 ff.

6) Theologische Quartal-Schrift von *Drey*, *Herbst*, *Hirscher* und *Feilmoser*. Tübingen 1821, erstes Quartalheft, S. 70—98. Heft 2 u. 3. S. 262 ff. 463 ff.

7) Jenaer Litt. Zeitung, 1821. S. 338 ff.

8) *Wagnitz* Journal für Prediger 1821, Band 62. (oder neues Journal für Prediger Bd. 42.) S. 77—82. 161—184.

9) *Beck's* Repertorium.

10) Hallische Litteratur-Zeitung.

Conferatur ipsius Bretschneideri declaratio, in quem finem „Probabilia" scripserit, in diario; „Tzschirner's Magazin für christl. Prediger." 1824. Bd. 2. St. 2, S. 153—155. Hoc loco citato dicit Bretschneider: Probabilia se scripsisse eum ad finem tantum, ut authentia et usus evangelii Johannei ipsi eo firmiores fierent, quo magis et ab aliis doctis viris probarentur; simul etiam dubitationes, in Probabilibus excitatas, tollit et sententiam suam mutat. (Cf. Bretschn. Dogmatik. 1822. Thl. 1. S. 217 u. 218. *NB.* 163. et in Praefatione ad h. libr. Pag. IV.)

Praeterea ad hanc commentationem elaborandam mihi subsidio erant hi libri:

a) *Herder, J. G.*, „vom Erlöser der Menschen nach unsern 3 ersten Evangelien." Riga 1796 in 8. (Herder's christliche Schriften 2te Sammlung).

b) *Herder, J. G.*, „von Gottes Sohn der Welt Heiland nach Joh. Evang." Riga 1797 in 8. (Herder's christl. Schrift. 3te Sammlung).

c) „Jesus, der Gottes-Sohn oder Welt-Messias, nach den Darstellungen des Lieblings-Jüngers Johannes, ein neuer Versuch über den Logos Joh. I. 1. ff., mit Berücksichtigung anderer Stellen der Johanneischen Schriften, besonders 1. Joh. I., 1. ff. *M.*" Giessen 1823. in 8. (91 Seiten).

d) *Borger, E. A.* „de constanti et aequabili Jesu Christi indole, doctrina ac docendi ratione, sive com-

mentationes de Evangelio Joannis, cum Matthaei, Marci et Lucae Evangeliis comparato." Pars I. Hagae Comitum 1816. in 8. maj. (pagg. 180. continet hic liber comparationem tantum (V. 12.) Johannis evangelii, inde a Cap. I. V. 39. usque ad Cap. III., cum reliquis evangeliis.)

e) *Seyffarth*, *T. A.*, „ein Beytrag zur Special-Characteristik der Johann. Schriften, besonders des Joh. Evangel." Leipzig 1823. in gr. 8. (279 S.)

f) *Reinhard's*, *F. V.* Dr., „Versuch über den Plan, welchen der Stifter der christlichen Religion zum Besten der Menschen entwarf. Ein Beytrag zu den Beweisen für die Wahrheit dieser Religion." — Wittenberg und Zerbst 1798. in 8. (4te Auflage).

g) (*Dionys. van der Wympresse*) „Ueber diejenigen Stellen des neuen Testaments, die die Person Jesu Christi betreffen." (Eine Uebersetzung einer Preisschrift). Helmstädt 1794. in gr. 8. (cf. Henke's Magazin 1792. Bd. 1. S. 129.)

h) *Wegscheider's*, *J. A. L.*, „Versuch einer vollständigen Einleitung in das Evang. des Joh." Göttingen 1806. in gr. 8.

i) *Overbeck's*, *J. G.*, „Neue Versuche über das Evangelium des Joh." Gera 1784. in 8.

k) Bertholdt de Christologia Judaeorum Jesu Apostolorumque aetate. Erlang. 1811. in 8. maj.

l) *Schulze*, *J. D.*, der schriftstellerische Character und Werth des Joh." Leipzig 1803. in 8.

m) *Niemeyer's*, *A. H.*, Characteristik der Bibel, Thl. 1.

n) *Schnckhage's*, *H. J.*, „Timotheus, oder Versuch einer faßlichen Darstellung der Grundsätze zur Wür-

digung und zum Gebrauch der Bibel, für gebildete Leser." Hannover 1824. in gr. 8.

o) *Möller's*, *S. H.*, „Neue Ansichten schwieriger Stellen aus den 4 Evangelisten." Gotha 1819. in 8.

p) *Reinhard's*, *F. V.* Dr. „Beyträge zur Erklärung, besonders zur praktischen Erklärung der Bibel." Aus dessen Schriften gesammelt und herausgegeben von M. C. F. Bartzsch, Leipzig 1817. in gr. 8.

Lexica etiam in N. T. Bretschneideri, Wahlii Clavis et Winer „bibl. Realwörterbuch," ut commentarii Kuinoelii, Tittmanni, Pauli aliorumque mihi usui fuerunt.

Judicium ab Ordine Theologorum summe venerando de hac commentatione, quam proxime ad victricem commentationem accessisse est judicatum, quarto die mensis Junii 1826 latum, est fere hocce:

„Auctor commentationis sua maxime ex ipsa et „repetita evangeliorum lectione haurit, simul autem „satis comprobat, se etiam aliorum scripta, ad quae„stionem pertinentia, bene nosse et diligenter evol„visse. Universam ille quaestionem magis etiam, quam „reliqui, (sc. qui certamen litterarium academicum „inierant,) exhaurit, diversi temporis, quo evange„lia conscripta sunt, rationem habet, in excutiendis „singulis eorum locis, quae tangunt quaestionem, „sedulus et amplus est."

Ceterum, ut in judicanda hac commentatione, primitiis studii ac laboris, frontem remittant, lectores doctos et benevolos oro rogoque.

Scripsi Gottingae, Calendis Septembribus a. 1826.

Introductio et exordium.

Nullo tempore, quam hodierno, theologi, tum dogmatici quum exegetici, tam multam operam navaverunt in explicando et interpretando evangelio Johannis. Qua re sensim sensimque, magis magisque sensum hujus evangelii penetravimus, quod olim multi mysticum et obscurum declaraverunt. Tamen nunc temporis etiam plerique, ut praesertim S. V. Bretschneider in libro: „Probabil.“ §. 1. pag. 1. seqq., hoc evangelium Johanneum, tam alienum a ceteris prioribus evangeliis esse dixerunt, ut cum his illud conciliari non posset. Praecipue vero in descriptionibus Jesu Christi imaginis indolis et ingenii secundum evangelium Johanneum et secundum reliqua maximam diversitatem invenerunt. S. V. Bretschneider immo eo processit, ut loco citato diceret: „*Jesus, quem depinxit quartum evangelium, valde diversus est a Jesu „in prioribus evangeliis descripto.* — Jesus enim, quem „*priora* evangelia pingunt, arte dialectica, ambiguitate „artificiosa, stylo mystico in loquendo, docendo, disputandove nunquam utitur, sed summa potius simplicitate, perspicuitate et naturali quadam facundia, „ex divina animi indole magis, quam ex artis praeceptis derivanda; Jesus vero evangelii *quarti* dialectice disputat, ambigue loquitur, stylo mystico utitur, obscura profert, adeo ut vel doctissimi de vero „multorum effatorum ejus sensu dubii haereant. —

„*Iste* vel brevioribus sententiis, graviter enunciatis „utitur, ut v. c. Matth. V—VII., vel parabolis, tanta „pulchritudine et interna veritate conspicuis, ut summa „animum vi moveant, abripiantque; *hic* autem ne „uno quidem in loco isto parabolico docendi genere uti„tur, cum, quae c. X. 1 seqq. et XV. 1 seqq. habentur, „in parabolarum numerum referri minime possint. — „*Iste* maxime vel de moribus, vel de vitae ratione, „vel de lege mosaica, vel de populi judaici erroribus, „vel de rebus politicis et religiosis verba facit; *hic* de „dogmatibus, de rebus metaphysicis, de divina sua „natura et dignitate. — *Iste* de divina sua natura fere „nihil profert, seque, si ipsius effata respicis, non „nisi hominem divinis dotibus instructum, a Deo mis„sum et Messiam describit; *hic* autem totus in eo est, „ut demonstret, se ante suam nativitatem jam exti„tisse, cum Deo conjunctissimum et divina gloria „conspicuum fuisse, de coelo descendisse, divina scien„tia et potestate instructum, mox vero in coelestes „sedes iterum abiturum esse. — *Is* in adversariis, „legis peritis, pharisaeis et sacerdotibus, mores per„versos, sanctitatis simulationem, impietatis dissimu„lationem potissimum vituperat, et morali ardore ab„reptus in eos invehitur; *hic* autem adversus eorum „dogmata disputat eosque propterea notat, quod de di„vina sua natura et auctoritate sibi persuaderi nolint. — „*Iste* de argumentis, quibus se Messiam esse probet, „non multa loquitur, neque populo, multo minus „pharisaeis et sacerdotibus, se Messiam esse, publice „annuntiat, imo discipulis, qui eum agnoverant, ve„tat, ne divulgarent (Matth. XVI, 13. Marc. VIII, 27. „Luc. IX, 18.); *hic* ubique Messias et esse vult et ha„beri, omnibus, quis sit, annuntiat (Joh. IX, 35. 37. X, „25 seqq.), ejusmodi facinora, qualia faciat ipse, a ne„mine nisi a Dei filio et Messia effici posse, semper in-

„culcat, eosque, qui his sibi persuaderi non patian-„tur, gravissime reprehendit. — §. 8.: „Sermones, „qui Jesu a prioribus *tribus* evangelistis tribuantur, „tantum genuinos esse posse, non vero illos in *quarto* „evangelio traditos; eos in *illis* spirare eloquentiam, „populi doctore dignam, quae de effectu certa esse pos-„sit, non vero in *hoc*; in *istis* omnia esse simplicia ac „plana, in *hoc* omnia artificiosa atque a natura ab-„horrentia; quapropter in *prioribus* evangeliis fictum „Messiam esse non posse, sane vero in *hoc* evangelio „Johannis etc." —

Quae, quum S. V. Bretschneideri argumenta in antigraphis et judiciis de libro ipsius, (supra pag. 6. seqq. laudatis) non jam satis refutata videam, haec praecipue in hac commentatione mihi sunt refellenda. Authentiam vero, jam in plurimis scriptis, contra Brettschneiderum editis, sine dubio vindicatam, in dissertatione nostra ut concessam sumimus, quamquam haec commentatiuncula etiam parvum testimonium, documentumque illius esse potest. —

In elaborando hoc opusculo summae brevitati operam dedi et ea, quae jam satis plane composita de hac re inveni, breviter tantum tractavi et ad illos libros, quibus illa insunt, rejeci, ut haec commentatio crambe decies cocta esse non videretur. — Omnia vero, quae in hac commentatione continentur, ex proprio quatuor evangeliorum studio hausta sunt. Pauca enim, quae de hac re scripta sunt, ad finem meum apta et utilia fuerunt.

Nunc ad rem ipsam! — En seriem materiarum et consilium hujus commentationis:

I. Pars prima seu generalis, continens rem in universo tractatam:

A. Imago indolis et ingenii Jesu Christi: (vita, consilium, dicta, factaque et mors ejus)

a) secundum Evangelium Johannis,
b) secundum reliqua evangelia Matthaei, Marci et Lucae.

B. Comparatur et conciliatur imago indolis et ingenii Jesu secundum Johanneum evangelium cum ea secundum reliquos evangelistas.

Jesus secundum Johannis evangelium, ut videtur tantummodo, diversus seu alius est, quam ille trium priorum evangelistarum; hi enim exponunt magnitudinem ingenii et indolis, ut ille:

α. Johannes ex τῷ Λόγῳ, qui cum Jesu Christo, cui πνεῦμα ἅγιον etiam fuit, conjunctus erat,

β. reliqui evangelistae ex τῷ Πνεύματι ἁγίῳ, cum Jesu conjuncto. Ambae voces vero synonyma sunt. — Evangeliorum diversitas in Jesu Christo describendo in verbis tantum posita est, non vero in re ipsa.

αα. Lingua et oratio;

ββ. Forma et argumentum:

א. Descriptio seu adumbratio (Darstellung).

ב. Interpretatio sive explicatio (Deutung).

Johannes theosophicam interpretationem divinae majestatis, magnitudinis et dignitatis Jesu conatur.

γγ. Finis, in quem conscripserunt evangelium evangelistae:

א. Johannes —

ב. priores tres evangelistae.

δδ. Thema seu summa historiae Jesum describendae.

א. Johannes serius temporis spatium Jesu historiae conscripsit;

ב. illi vero praecipue illam Jesu vitae partem, quum eum Herodes persequeretur, tractant.

εε. Unius cujusque ingenium ac mores [individualitas] evangelistarum, praecipue Johannis. — Evangelistae fuerunt auctores referentes tantum, non vero

judicantes, integritatem non affectant, i. e. non omnia, quae de Jesu sciebant, narrare volunt.

ζζ. Tempus, quo evangelistae scripserunt evangelia:
  א. priores tres evangelistae,
  ב. Johannes.

C. Brevis delineatio indolis et ingenii Jesu Christi secundum quatuor evangelia.

II. Pars secunda, seu specialis, exegetica, singulorum de Jesu Christo locorum Johannei evangelii cum illis, in tribus prioribus evangeliis obviis, comparationem continens.

Pars I.

seu generalis, rem in universo tractatam continens.

A. Imago indolis et ingenii Jesu Christi:

(vita, consilium, dicta, facta et mors ejus)

a) *secundum evangelium Johannis.*

Prooemium evangelii Johannis I. V. 1—14. Jesus, filius Dei, aeterni patris, creator novae, omnes beneficiis afficientis, religionis. — Ὁ λόγος, sive divina efficacia per sapientiam et vim *) sese exserens, seu creans, animans, sapiens et efficax divini numinis principium (quod philosophi vocant), pro persona indutum, per Jesum, in quo tanquam homo apparuit, cum quo (V. 14. σὰρξ ἐγένετο) in hominis forma sese conjunxit, maxime et altissime patefactus revelatusque est in commodum omnium hominum. — Haec τοῦ λόγου explicatio in sensu morali propter voces sequentes φῶς, ζωὴ, etc. aptissima mihi esse videtur. (Ὁ λόγος, ratio, mens, sermo, verbum, doctrina pro doctore κατ' ἐξοχὴν, maximus doctor divinae veritatis explicari etiam potest). Hoc λόγῳ Deus creavit (V. 3.) mundum, cum aeterno filio Deus omnia creavit, id est, per Jesum Deus novam rei universae institutionem

*) cf. Genes. I., 1. sqq. 22. sqq. Gott sprach: „es werde!" — „sein Wort etc."

nem seu ordinem proposuit, Vetere Foedere sublato, novam rem religionis constitutae instituit; jam in mundo creando filius Dei τῷ λόγῳ (quoad animi praeexistentiam apud Deum) efficax fuit; jam in re primae religionis instituenda in consilio Dei fuit, ut per Jesum, Dei filium, novam, omnibus hominibus aptissimam, semperque manentem, optimamque religionem adveheret. Nova Dei per Jesum, τὸν λόγον, cum Jesu arctissime conjunctum, creatio sempiternum est evangelium. — (Cf. Apocal. XIX., 13 ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. — 1. Joh. I., 1 — 5. λόγος τῆς ζωῆς. — Simili modo Paulus apostolus *Christum vim Dei et sapientiam Dei* nominat, 1. Cor. I., 23 — 24. dicens: „κηρύσσομεν — Χριστὸν, θεοῦ δύναμιν καὶ θεοῦ σοφίαν." —)

Secundum hanc interpretationem τοῦ λόγου omnes N. T. locos, qui de vi creationis τοῦ λόγου aut filii Dei, Jesu, agere videntur, explicari posse, certissime mihi est persuasum. — In toto Johannei evangelii prooemio describitur igitur dignitas Christi et divina majestas, cui divina origo, sive praeexistentia apud Deum attribuitur, cum inter τὸν λόγον ante existentiam terrenam, et inter illum post conjunctionem ipsius cum Jesu homine discernendum sit. *)

---

*) Cf. interpretes ad Joh. I., 1 — 14., laudati in libro: „*Bretschneider's* systematische Entwickelung aller in der Dogmatik vorkommenden Begriffe." 1825. (3te Ausgabe) Seite 423. ff. — cf. *Seyffarth's* Beytrag zur Special-Characteristik der Johann. Schriften. 1823. §. 17. S. 46. ff. „Die Idee des Joh. λόγος." (Seine Erklärung des λόγος, in dem er 4 actus desselben finden will, ist, wie es mir scheint, zu gekünstelt. —) cf. (D. v. d. *Wympresse*) „Ueber diejenigen Stellen im N. T., die die Person Jesu Christi betreffen." 1794. Ueber Joh. I., 1—18. S. 161. ff. — cf. „Jesus der Gottessohn, oder Welt-Messias, nach der *Darstellung* des Joh." etc. Gieſsen 1823. in 8. S. 63. ff. —

V. 3. (cf. V. 10.) „Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο“ etc. plerique interpretes de omnipotentia Jesu, tanquam τοῦ λόγου, explicant; haec verba nobis vero, ut jam diximus, propter sequentes voces „ζωὴ καὶ φῶς“ (V. 4.) de creatione in sensu morali per religionem Christianam universalem, melius sumenda esse videntur. — (ad V. 3. „πάντα — ἐγένετο“ κ. τ. λ. cf. Col. I., 13—20. Hebr. I., 2—3. II., 7. 8. —)

V. 4. Sapientia Christi; — Christus fuit ἡ ζωή, vita, vitae fons, vitam, sc. moralem, reddens, (cf. 1. Joh. I., 1. sqq. ὁ λόγος τῆς ζωῆς καὶ τὸ φῶς etc. *), lux hominum, i. e. ipsius moralem vitam et lucem afferenti animo omnes homines illustrari et fortunari, edoceri et emendari, a tenebris superstitionis, inscientiae et perversitatis ad lucem, i. e. ad meliorem Dei ejusque voluntatis cognitionem, duci debebant. (ad V. 4. „ἐν αὐτῷ — ἀνθρώπων.“ cf. Act. III., 15. Col. III., 3. 4. Hebr. VII., 25. 26. — Luc. II., 32 et al., 2. Timoth. I. 10. (coll. Joh. VIII., 12.) — ad. V. 5. καὶ τὸ φῶς — φαίνει κ. τ. λ. cf. Luc. I., 79 et alibi.)

V. 6 — 8. Johannes baptista, praecursor Jesu, de illo testari debuit, ut omnes fidem illi, Jesu Christo, habentes, felices redderentur. cf. V. 9. ad. V. 6—8. De Johanne baptista cf. reliqui evangelistae. — (ad. V. 9. „φωτίζει — ἄνθρωπον“ κ. τ. λ. cf. Matth. XXVIII., 19.— „πάντα τὰ ἔθνη.“— ad. V. 10. „καὶ ὁ κόσμος — ἔγνω.“ cf. Matth. XXI., 42. Marc. VIII, 31.)

---

cf. *Teller's* Wörterbuch des N. T. sub voce: „Wort.“ — *Bertholdt* christologia l. I. „de λόγῳ.“ — Ad Joh. I., 1. „ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος“ cf. Hebr. I., 4. 10. 1. Petri I., 20. — „ὁ λόγος — ὁ λόγος“ cf. Rom. IX., 5. Phil. II., 6. sqq. Tit. II., 13.

*) cf. Joh. I., 5. 9. III., 19—22. V., 34. 35. VIII., 12. IX., 5. XII., 35. 36. 46. VI., 35. 48. 50—61. X., 28. XI., 25. 26. XIV., 6. XVII., 3. — cf. *Hug's* Einleitung, 2ter Theil. S. 140.

V. 11—13. Multi tunc impii et perversi (aliis locis σκοτεινοί, oppositi τοῖς πνευματικοῖς,) homines Jesum ejusque doctrinam non exceperunt; melior vero pars hominum, qui altiori cognitione gaudebant, doctrina Christiana excepta, felix reddita, et per Jesum in arctiorem cum Deo conjunctionem (cf. V. 18. τέκνα, al. υἱοὶ Θεοῦ γενέσθαι) adducta est. — (ad. V. 11. „εἰς — παρέλαβον.“ cf. Act. III., 13. 14. — ad. V. 12. „ὅσοι — ἔλαβον κ. τ. λ. cf. Rom. VIII., 15. Gal. III., 26. 27. ad. V. 13. „οἱ — αἱμάτων κ. τ. λ. cf. 1. Petr. I., 23. Jac. I., 18. —)

V. 14. Qui divinis virtutibus, sapientia ac vi, instructus animus carne praeditus, (ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο) [„καὶ ὁ λόγος — ἐγένετο“ κ. τ. λ. cf. Matth. I., 16. Luc. I., 31. II., 7. Matth. XVII., 1. sqq. 2. Petr. I., 16 — 19.] homo factus est. Homines Jesu gloriam (δόξαν), majestatem viderunt divinam dignitatemque, quibus hic cum Deo arctissime conjunctus fuit (μονογενῆς παρὰ πατρός) et quibus illi gratiam et veritatem acceperunt. —

Johannis baptistae de Jesu testimonium (V. 15—27.) praeexistentiam illius affirmat (V. 15. et 27.) et effectum hominibus salutarem adventus ejus clamat (V. 16. 17.) atque evangelii donum legis beneficio, Judaeis olim per Mosen concesso, praestantius esse dixit.

V. 18. Christus tantum sublimioris rerum divinarum cognitionis particeps fuit; is solus nobis Deum ejusque necessitudinem, qua homines Deum attingunt, patefecit. cf. XIV., 10. 11. XVII., 6. 22. 25. 26.

V. 29. et 36. Johannes baptista Jesum salvatorem hominum [ἀμνὸς*) τοῦ Θεοῦ] declarat; Johannes,

*) Agnus est imago mansuetudinis, quam Jesus semper monstravit. Alio modo verba „ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ“ V. 29. et 36.

Christum, Dei filium (υἱὸν τοῦ θεοῦ), divinis virtutibus (τῷ πνεύματι ἁγίῳ) instructum esse, vidit (cf. V. 32—39.). Jesus est Messias, Christus, a Deo unctus (μεσσίας, χριστός). V. 43.

V. 48—52. colloquium Jesu cum Nathanaële. Jesus ipse, magna se facturum, homines altiori cognitione imbuturum dicit, a Deo missum esse declarat, et sese filium hominis (υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου) nominat. — V. 51. 52. Jesus, V. 50., a Nathanaële υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ nominatur. (cf. Herder l. c. ad h. l. S. 128. ff.)

Quum Judaei miracula a Messia edenda expectarent, quia haec ad notionem Messiae pertinere credebant, Johannes evangelista nonnulla eorum refert.

Cap. II., 1—10. Primum apud Johannem, quod Jesus edidit, fuit miraculum hilaritatis, commutatio aquae in vinum, in nuptiis Canae in Galilaea, ad augendam familiarium laetitiam. Alium finem, ut S. V.

---

interpretatur F. H. *Möller* in libro: „Neue Ansichten schwieriger Stellen aus den 4 Evangelisten." Gotha 1819. pag. 282., cujus sententia brevibus verbis fere haec est: „Im Urtext habe gestanden (oder Johannes, der Täufer, habe gesagt): הנה אמריה oder אמראל, dies sey aber von אמרה, verbum, sermo, abzuleiten, und heisse dann λόγος τοῦ θεοῦ (wie Joh. I., 1.). Dann sey der Sinn: „siehe das ist der Gottgesandte Lehrer, — das ist das Orakel, durch welches lichtvolle Erkenntniſs verbreitet und Thorheit und Sünde entfernt wird." — „Joh., oder der Uebersetzer, habe also entweder einen Uebersetzerfehler begangen, oder habe die Worte des Täufers entweder miſsverstanden, oder anders gedeutet." Die Gründe für diese Hypothese giebt Möller l. c. S. 279. ff. an. — An hujus sententia sit probanda, nec ne, hoc lectoribus dijudicandum relinquo. —

Bretschneider opinatur, ut crapulae inserviret, in hoc faciendo Jesus habere non potuit. *)

V. 13—16. Jesus omnia, quae Dei cultum turbant, ex templo removit (cf. Matth. XXI., 12.), indignatus de exauguratione loci, Dei cultui destinati. Quo facto Jesus ostendit, alias lenem et amoris plenissimum animum ira atque indignatione incendi posse; atque hoc fas erat. —

V. 19. cf. Matth. XXVI., 61. Marc. XIV., 58.

V. 24. 25. Jesu scientia ingenii humani, s. morum humanorum.

Jesu colloquium cum Nicodemo, III., V. 1—22. Jesus ad excipiendam ipsius religionem, animi morumque emendationem postulat; hac enim re tantum homines per religionem beati fierent. **)

Jesum, a Deo missum, tanquam hominum salvatorem, Dei filium esse, cum Deo Christum arctissime conjunctum, divina facere omniaque secundum Dei

---

*) cf. *Herder* l. c. ad h. l. S. 130. ff. *Schott* progr. cit. pagg. 8. sqq. cf. *Küchler* commentatio de loco Jo. II., 1—11. Leucopetrae 1811. in 4. — Cfr., quae de indole animi egregia hoc facto Servatoris declarata, atque de iis, quae ipse hoc exemplo docere voluit, *Berger* in libro laudato pagg. 47—78, et *Bahnmaier* in fasciculo III. „Observationum in loca quaedam N. T., quibus insunt, quae ad efformandos animos moresque doctorum religionis Christianae pertinent," Tubingae 1816. in 4. bene observaverunt. —

**) cf. *Herder* l. c. ad h. l. S. 136. ff. — *Möller* pag. 284. sq. dicit l. c.: „die Absicht dieses Gesprächs sey gewesen, zu zeigen, wie sehr seine und der Pharisäer Grundsätze und Vorstellung von dem Messiasreiche verschieden gewesen seyn. Joh habe dies Gespräch mit eingerückt, um zu zeigen, dafs Jesus der wahre Messias sey, und um die Grundsätze der Pharisäer zu widerlegen."

voluntatem, Deo adjuvante, doctrinam ejus divinam esse, quae divinam veritatem complecteretur, multis locis repetit Johannes, cf. III., 13. 18., IV., 34. 42., V., 17. 30. 31—38., VI., 46., VII., 16. 17. 28—30., VIII., 16. 26. 28. 29., IX., 35., X., 25. 36. 37. 38., XII., 44. 45—50., XIV., 10. 11., XVI. 32., XVII., 10. 17. 18. 22. 25. 26. alibi. Varia, quae Johannes Jesu tribuit, nomina (ut υἱὸς τοῦ θεοῦ, υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, υἱὸς μονογενὴς τοῦ θεοῦ, κύριος (IV. 1., XXI. 7.) ὁ Χριστὸς, sive ὁ Μέσσιας, σωτὴρ τοῦ κόσμου) huc referenda sunt. cf. ll. cc. Hoc ut demonstraret, totus Johannis finis in scribendo evangelio fuisse videtur, ut etiam Johannes cap. XX., 31. diserte dicit.

Sicuti Jesum a Deo in terram missum, ita etiam in coelum ad Deum evecturum esse, Johannes docet, III., 13., VII., 33., XIV., 28., XVI., 5., XVII., 1. 11.

Jesu consilium, ut homines religione Christiana felices redderet, spectat ad omnes homines cf. Joh. III. 15—18; omnes, qui doctrinam Christianam excipiunt et sequuntur, salutem summamque felicitatem ab illa expectare possunt, cf. V., 24. al. — Joh. IV. 42.: Jesus est Christus, salvator mundi, ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, id est, omnes in mundo felices reddens. Joh. VI., 40—45: ut per religionem Christianam omnes homines ad Dei numen propius accedant, est consilium doctrinae Christi. Joh. XI., 47. et 49: Christum, ut mundum, i. e. omnes homines ad felicitatem perduceret, venisse, Johannes narrat, cf. Joh. XVII. 2., XII., 47—49. al. Voces, φῶς τοῦ κόσμου, lux mundi, ζωή, vita, apud Johannem ad efficaciam Jesu, qua homines illustrat, emendat et felices reddit, spectant. cf. Joh. III., 18. 19. Jesus est lumen mundi, homines vero inscii et perversi tantum splendorem hujus lucis, quae veritatem et scientiam longe lateque diffundit, tenebrasque fugat (cf. Joh. I., 4. 5. 7. 8. 9.,

XX., 21.; V., 36., IX., 5., XII., 35. 46.), ferre non possunt (VIII., 44. 47.), non amant, quoniam in tenebris (τῷ σκότει) inscitiae vivunt; qui vero veritatem ejus doctrinae agnoscit, luce illius illustratur, et Deo est propior. — cf. VIII., 12. XII., 36. Johannes baptista, qui Jesu auctoritate crescenti gaudet, discipulis declarat, Joh. III., 23—36., Jesum, a Deo missum, Dei verbum annunciare, spiritu sancto (πνεύματι τοῦ θεοῦ) instructum esse; Deum, patrem, Jesum amare, filium (υἱὸν αὐτοῦ), et omnia ei tradidisse (V. 35.), fiduciam Christi tantum dare vitam aeternam (ζωὴν αἰώνιον) V. 36. — Jesus postulat, ut ipsius cultores Deum, qui spiritus atque *major ipso* (cf. XIV., 27.) sit, animo ac veritate venerentur, Joh. IV., 23. 24., sicut ipse Deum ut patrem colit, VIII., 49. —

Multis allegoriis, comparationibus et tropicis locutionibus Johannes utitur; comparat enim Jesus doctrinam cum aqua viva (ὕδωρ ζῶν), quae in vitam aeternam fluit (Joh. IV., 10. 14., VII., 37. 38.), cum cibo (IV., 32.), in vitam aeternam permanenti, et doctrinam ac sese nominat panem Dei et vitae, Joh. VI., 27. 31—35. 48—51. *); observatio officiorum cibus est ipsi, IV., 32. 34.; effectum ejus doctrinae cum messi, IV., 35—38., Jesus sese comparat cum vero pastore, duce hominum, cum janua, X., 1. sqq.; sese nominat viam (ducem viae), veritatem (interpretem veritatis) et vitam, (auctorem felicitatis,) XIV., 6.; sese confert cum viti, XV., 1. 8., regenerationem per rem Christianam cum flatu venti, III., 8.; mor-

---

*) cf. *Barth*: „nähere Beleuchtung v. Joh. VI., 26—63, zur Erörterung der Frage: ob hier vom Abendmahle Jesu die Rede sey?" in *Tzschirner's* Magaz. f. christl. Prediger. 1824. Bd. 2. S. 43—63.

tem et novae religionis incrementum cum tritici grano, quod moritur et enascitur, XII., 24.; supplicia Christi cum poculo, quod ei est bibendum, XVIII., 11. Plures etiam Jesu aliorumque actiones symbolicae huc referri possunt, exempli causa XII., 1—6. XIII., 1. sqq. XX., 22. *)

Pleraeque harum vocum, a proximis sibi rebus desumtae, efficientem, veram magnaque praebentem ejus doctrinam describunt.

Summae Jesu *virtutes* erant: summus amor erga Deum et omnes homines, praecipue erga ejus discipulos, immo erga inimicos, obedientia et veneratio Dei, amor veritatis, efficientia in commodum hominum, quam praecipue in sanandis morbis ostendit, studium incitatum in docenda et propaganda doctrina, magna humani ingenii scientia, animi et magnitudo et mansuetudo ac clementia, qua parcit animi imbecillitatibus hominum, sapientia doctoris maxima, morum sanctitas, animi hilaritas et tranquillitas, ac integritas et innocentia, modestia et misericordia, constantia in suppliciis etiam atque puerilis amor erga matrem. cf. Joh. IV., 34., V., 30., VII., 18., VIII., 14. 29. 46. 49., IX., 4. 5., XI., 33—36. (coll. Marc. VIII., 2. Luc. XIX., 41.) 42. — XIII., 1. sqq. 18. sqq. 34. 35., XIV. 1. sqq. 7—9. 31., XV., 9—12. 15. 16. XVI., 12. 25. 26. 28., XVII., 2. sqq. 19. 20. sqq. XVIII., 1. sqq. 37. 38., XIX., 4—6. 25—27. 30., XX., 19. sqq.

Effata, quae Jesus coram discipulis loquebatur, sunt spiritus et vita, VI. 63., i. e. effata ejus ea, quae hominum animus desiderat, explent, rerum divinarum cognitionem ac veram felicitatem praebent; il-

*) cf. *Schulze* l. c. pag. 235.

lius effata vitam (beatam) dant aeternam; VI., 68.,
Christus fortiter locutus est, VII., 37. sqq. 46. al.

Maximus Jesu amor erga homines atque in commodum hominum efficientia, imago divinae, praecipue in studio, omnes docendi (cf. IV., 7—42., VIII., 2. sqq.) et in sanandis morbis et in prodigiis, quae omnia beneficum finem habent, conspiciuntur; in Galilaea sanat filium regii, (hominis aulici) [IV. 45—54.] uno verbo, item aegrotum, qui jam duo de quadraginta annos morbo affectus erat, prope Bethesdam, V., 5—9.; quinque millia hominum pauco cibo alit VI., 3—14.; Lazarum, jam mortuum, miro modo in vitam revocat, XI., 43. 44.; hominem, qui coecus natus erat, sanat, IX., 1—11. — Nemo Jesum peccati arguere potuit, VIII., 46.; ipse Pilatus gentilis Jesum innocentem declarat, XVIII., 38., XIX., 4—6. Jesus, ut probaret, se Messiam esse, a Deo missum in salutem hominum, doctrinam esse divinam, ad testimonium Johannis baptistae, in quo autem non multum momenti ponit, quoniam non ab hominibus, sed a Deo solo honorem auctoritatemque sumit, (cf. Joh. V., 41. sqq.), ad doctrinam ipsius, quae divina praecepta divinamque veritatem complecteretur, ejusque effectum, ad ipsius opera, ad effata Veteris Testamenti, et ad Deum ipsum provocat. cf. Joh. V., 31—44. VII., 28—30. VIII., 14—26. 28. 29. sqq., X., 25—38., XII., 44—50., XIV., 11. 20. 24., XVI., 8—11. 32., XVII., 10. 17.

Jesus doctrinam liberius docet coram multis hominibus, VII., 28. sqq., VIII., 26., XVIII., 20. sqq. al.

Saepe Jesus dicit, se et ipsius regnum veritatis non esse ex hoc mundo, VIII., 23., XVII., 16., XVIII., 36. sqq. al.

Jesus cultoribus Christianae doctrinae maxima beneficia, felicitatemque maximam promittit, IV.,

35—38., V., 24., VIII., 31. sqq. 44—47.; XI., 25. 26.; XIV., 14. al., et postulat ab iis, ut praecepta religionis sequantur, eique fidem habeant, cf. III., 36., XIV., 15., X., 9. sqq. coll. ll. prius cc.

Christus probos homines olim judicabit, atque ad aeternam altiorem vitam (resurrectionem vitae,) V., 25—29., ad quod faciendum Deus, cujus nomine Jesus venit (V. 43.), ei potestatem tribuit, V., 25. 27., ad aeternam felicitatem ducet, VIII., 51., XI., 25. 26., XIV., 3. sqq. XVI., 16. al.; Jesum ipsum esse resurrectionem et vitam, auctorem resurrectionis ac vitae, cf. XI., 25. Consilium Jesu cum Dei consilio consentit, X., 30. 37., XIV., 10., XVII., 6. 23., ut Jesus doctrina homines bearet. — Jesum mori oportet, si opus magnum finiri debebat, XI., 20—25. coll. XVI., 7. Postremo tempore vitae, Christum summus amor erga omnes homines, et erga discipulos praesertim, (optimum ejus indolis lineamentum,) clementia, modestia, mansuetudo et animi constantia excellunt. Jesus symbolica actione pedum lotionis, XIII., 1—17., maximum modestiae ac amoris exemplum praebuit; *) Judam, ipsius proditorem, summa clementia admonet et signat, XIII., 18—30. Petrum clementer et amice monet, ne deficiat, 31—38.; discipulis, sicut omnibus Christianis praeceptum amoris tribuit, V., 34. 35.

Praecipue postrema Jesu cum discipulis colloquia admiratione sunt dignissima, Cap. XIV. sqq. — Christus, qui jam in eo est, ut supplicia mortis patiatur, totum tantum se collocat in discipulis ad futura praeparandis, ut eorum animos ita commoveat, ut nunquam postea elabatur. Talia, quae hic legi-

*) Illi, quod *Bretsch.* de Joh. VIII. 8. (Probab. pag. 62.) dicit, respondet *Lücke* in commentar. ad h. l. (Thl. 2. S. 363. ff.)

mus, excogitari nequeunt. Christus ipse ... oportet aliquis, ut ita dicat, sicut hoc loco Jesus! —

Primum Jesus discipulos admonet, ut fidem habeant ipsius doctrinae divinae et missionis, XIV., 1—14. Solatur ac admonet eos, ne animo deficiant, sed ut certam fiduciam spemque in Deo positam habeant (cf. XVI., 1.); eum, qui Deo fidat, ipsi quoque, a Deo misso, salvatori humani generis, fidem habere oportere; in patris domo multa esse habitacula V. 2. sqq., eo se abire, iis locum paraturum, postea reventurum et eos ad se recepturum. — In Jesu cernimus Dei imaginem, sapientiae et sanctitatis, perfecti hominis imaginem eorumque, quae ab hominibus poscit, V. 7—9. sqq. Si quid, quod attinet ad propagandam ejus doctrinam, ejus nomine peterent discipuli, se perfecturum, V. 13. sqq. coll. XVI., 23—33. Qui eum amaret, ejus mandata esse servaturum, V. 15.

Tum Jesus discipulis adjutorem (παράκλητον), spiritum sanctum, auctorem veritatis, eos de omnibus edocturum, in illorum operibus promittit; hunc a Deo pro iis se petiturum, V. 16. sqq. 26. coll. XV., 16., XVI., 7. 26. Se orbos illos non destituturum, dicit, V. 19., illos victuros esse, ut Christus vivet.

Deinde Jesus animo maxime commotus, discipulis valedicit, XIV. 23. sqq.

Rursus eos Jesus adhortatur, ut eum ament ejusque mandata servent; tunc cum Deo et Jesu in arctissimam conjunctionem eos esse perventuros, V. 23. sqq., illis se tribuere pacem, quam mundus dare non possit; (oratio intimi sensus!) V. 27., ad patrem se abiturum, qui ipso major sit, V. 28. sqq., ad aeternae pacis et altioris felicitatis sedem; quare non lugeant, sed laetentur iis opus esse, dicit; constanter morti obvium se confert, ut mundus cognoscat, se patrem amare ejusque mandata perficere, atque vitam

ipsum pro doctrina saluti hominum dare, V. 31. coll. XV. 13.

Jesus in via ad hortum Gethsemane. Discipulos ad fidei constantiam, amorem, concordiam et patientiam adhortatur.

Cap. XV., V. 1—8. Jesus allegorice dicit: omnem vim ad bona facienda ex Deo (quem cum vinitore comparat,) prodire, qui omnia servet et emendet; per Jesum (qui viti se confert) vim veritatis ac boni ad nos pervenire; Jesum nihil non per Deum esse (summa Jesu modestia!), omnia esse per Jesum discipulos, in quo maneant, inter se concordes sint, jubet; nisi hoc fieret, totum ejus opus periturum; sic concordes inter se ejus cultores totum hominum genus ad unam magnam societatem Christianam consociare posse.

V. 9. Ut Deus Jesum, sic discipuli Jesum ac sese ament (cf. V. 12.), ejus mandata servent, orat, secuturi exemplum Jesu, V. 10., qui, amore motus, omnia Dei perfecerit jussa. Haec Jesus illis dixit, ut sua de illis et illorum de ipso laetitia perpetua et perfecta redderetur. V. 11. Repetit Jesus maximum ipsius mandatum, ut illi invicem ament, quemadmodum ipse eos amet, V. 12. Maximum amoris in omnes homines, qui amicos habet, argumentum est, quod vitam pro omnibus amittit, V. 13. — Discipulos amicos suos nominat, V. 14. 15., quod, quaecunque ex patre audivit, totum Dei et Jesu consilium asserendorum hominum operis, iisdem indicavit. (Summa Jesu mansuetudo in consuetudine cum discipulis!) — Ipsum iis amore antevertisse, eos delegisse, eosque docuisse, quo modo pro toto humano genere operosi et utiles essent, dicit, V. 16.; tunc Deum eorum operas praemiis largiter affecturum, eo-

rūmque preces, Jesu nomine factas, auditurum (cf. supra). —

Repetit fraterni mandatum inter se amoris, in quo semper maneant, tunc etiam, si homines eos odissent, persequerentur et ingrate tractarent, XV., 17—27. —

Quae omnia Jesus iis dixit, ne in ipso offenderent, XVI., 1. sqq., quum postea moreretur et homines eos persequerentur. Maxima sapientia eorum animos convertit ad rerum mutationes, quas mors ejus productura sit, ac adhortatur apostolos, ut spe laetarentur, XVI., 2—23. Christus mortem, tanquam discessum ad patrem, et necessariam describit, V. 5. 7. — Summa doctoris sapientia, qua eorum cogitandi rationi parceret, multa occulte et allegorice expressit, quoniam omnia capere non poterant, V. 12. coll. V. 25. 26.; spiritum vero, auctorem veritatis, sensim sensimque ad liquidum eos esse perducturum, dicit V. 13. sqq.; quod vero esse explicationem tantum, unam enim eandemque esse Dei, Jesu, apostolorumque doctrinam, V. 14. 15. Paulo post eos relicturum, mox vero eum rursus illos revisuros, tunc tristitiam illorum in laetitiam conversum iri, dicit, V. 16. 20. 22.; tunc omnia iis clara et aperta fore, V. 23. 25. —

Jesus iis praedicit, in morte eos dissipatos eum solum relicturos; ipsum vero non solum esse, quia pater ei adsit, V. 32. Solatur discipulos, V. 33., verbis: „θαρσεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον, bono este animo, ego mundum vici!“

His praeclaris verbis Jesus orationem finit. Quum omnia, quae discipulos de futuris solari, in fide erigere atque confirmare poterant, dixisset, effusus est in preces, ratione cum rebus terrestribus composita, animi aestu cum sensibus expugnato, Cap. XVII., 1:

sqq. Animi tranquillitas ac vigor eum non relinquunt et per totam precationem excellunt. — Jesus se tanquam mortuum contemplatur (V. 11.), jam Deo conciliatum se sentit; ad Dei solium accedit, rationem ipsius operis reddens, fidelem cultorum turbam Deo commendat, eumque orat, ut ipsi tribuat eum locum, qui ei conveniat, simulque vero etiam a Deo petit, ut discipuli et omnes homines felicitatis ejus aeternae participes forent. In hac praecipue precatione Jesu animi et ingenii magnitudo perspici potest. — Jesus, qui Deum summa pietate colit, hic non tantum pro se, sed etiam pro discipulis et omnibus hominibus, et pro propaganda ejus doctrina deprecatur. Totum hoc caput XVII. eximia continet. — Soli Bretschneidero illae preces displicent. — *) Quibus absolutis, Jesus cum discipulis in hortum Gethsemane proficiscitur, ibique mortem fortiter ac constanter exspectat, ipsamque inimicis tradit. Cap. XVIII. (cf. loca parallel. apud Matth. Marc. et Luc.)

Jesus ipse declarat inimicis, se illum esse, quem quaerant, V. 5—7; qui ipsi Jesu animi magnitudine perturbantur, (V. 7.) (vis malae conscientiae!). — Orat, ut discipulos liberos dimittant, V. 8. 9., ut nemo eorum pereat. — Petrum, qui, eum e potestate inimicorum liberaturus, vim adhibet, Jesus objurgat, V. 10—11. Christus se capi et vinciri patitur, V. 12. sqq. et abducitur. Inimicis respondet summa loquendi libertate ac constantia, V. 20. sqq.

Postea Jesus ad Pilatum est ductus, cui interroganti, quid fecerit, respondet: (V. 36 sqq.) ipsius regnum non esse hujus mundi, sed veritatis, ipsum venisse, ut veritatem testaretur. Quare Pilatus ipse

*) Probab. pag. 33 sqq., coll. contra *Hemsen.* l. c. pag. 182. sqq.

ejus innocentiam agnoscit, V. 38. sqq. coll. XIX., 4. 6. 12., eumque ut liberet, studet. Judaeis vero incitantibus multaque falsa in Jesum proferentibus, Jesum castigari jussit, XIX., 1. sperans fore, ut Judaei hac re contenti essent. Tamen Judaeis, iterum iterumque „σταύρωσον αὐτόν, cruci eum jube affigi!" clamantibus (XIX., 6. 15.), tandem Pilatus, timore motus, istis Jesum cruci figendum tradidit, V. 16. — Jesus, crucem ipse portans, ad locum supplicii exit, ubi eum et duos maleficos utrinque, Jesum vero medium, cruci fixerunt, V. 17. sqq. — Quum hic Jesus Mariam, matrem, vidisset, illam Johanni, discipulo amatissimo, commendat, V. 25—27. locutus ad matrem: „γύναι ἰδοὺ ὁ υἱός σου!" et ad Johannem: „ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου., en, mulier, filium tuum (futurum)! en, matrem tuam!" Sic in extremis Jesu maximus puerilis amor in matrem conspicuus est! Quo facto Johannes Mariam statim ad se domum recepit, V. 27. — Supremum Jesus dixit: (V. 30.) „τετέλεσται, actum, peractum est, vita peracta est, labores exantlati sunt!" et capite reclinato, animum exspiravit. Sicut Jesus magnus in vita, ita magnus in morte! —

Tertio die, postquam defunctus erat, XIX., 38—42., ex mortuis Jesus resurrexit, XX., 1. sqq. et cum Maria Magdalensi colloquitur, XX., 14—17., quam orat, ut id discipulis nuntiaret.

Quo facto, (V. 18.) Jesus incedit in concionem discipulorum, solatii et laetitiae loquens verba: „εἰρήνη ὑμῖν," salvete, pax vobiscum, V. 19. (coll. V. 21. 26.), manus latusque iis ostendit V. 20., emittit discipulos, quemadmodum eum Deus misit, V. 21., iisque spiritum (πνεῦμα ἅγιον) sanctum, mirasque vires ad sanandos morbos tribuit, V. 22.—23. — Paulo post rursus discipulis atque, dubitanti de ejus

resurrectione Thomae apparuit, V. 24—27., quem ad fidem adhortatur (27.) et cui dixit: „μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες, beatos, qui, etsi non viderint, fidem tamen habeant!" V. 29.

Postea Jesus tertio discipulis apparuit ad lacum Tiberiadis, XXI., 1. 14., iisque cibum, panem ac pisces, praebuit.

— Jesus Petrum, qui quamvis ter negasset, (cf. XVIII., 17. 25—27.), se esse Christi discipulum, tamen in suorum communionem recepit. Joh. XXI., 15. sqq.*)

b) *Imago indolis ac ingenii Jesu Christi secundum Matthaei, Marci et Lucae evangelia.*

Priora Jesu vitae fata duo evangelistae tantum, Matthaeus et Lucas, describunt, multaque mira, quae ante et post Jesum natum facta esse dicuntur, narrant. Luc. I. 26—38. II., 1—20. Matth. I. et II.

Jesus Bethlehemi nascitur, ex ignobili genere oriundus, (cf. Luc. II., 1—20., Matth. I., 18—25.) memorabilibus rebus, felicibus auspiciis. More Judaico infans circumciditur et Jesus nominatur. Luc. II., 21. Matth. I., 25. Voces „σωτὴρ (Luc. II., 11. cf. V. 30. σωτήριον pro σωτὴρ) Χριστὸς, κύριος, Ἰησοῦς, Φῶς, (V. 32.), λύτρωσις" spectant ad Dei consilium, ut per Jesum, salvatorem omnium, doctrina, omnes felices reddens, institueretur. Luc. I., 31. 32.

Je-

*) cf. *Bretschneider* Dogmatik I., 456 — 467. „Ueber die Göttlichkeit des Sohnes nach Joh. Schriften." §. 75. (coll. §. 76. „Ueber die Göttlichkeit des Sohnes nach Paulus, S. 467 — 478. et §. 77. „Ueber die Göttlichkeit des Sohnes nach dem Brief an die Hebräer und den übrigen Aposteln Petr., Jac. und Jud.," S. 478 — 482.)

Jesus duodecim annos natus, jam magnas ingenii animique facultates ostendit, Luc. II., 40—52. Adolescens invaluit animo, ita ut sapientia impleretur, gratia quippe divina ei adfuit, (V. 40.) aetate, gratia apud Deum hominesque profecit, V. 52. —

Jesus, qui cum parentibus Hierosolyma profectus erat, ibi in templo versatus est, ut edoceretur ab Judaicis doctoribus, qui admirabantur ejus intelligentiam ejusque responsiones, V. 41—47. Parentibus nescientibus (V. 43.), eum ibi mansisse, idque ei leviter objicientibus (V. 48.), eximie respondet (V. 49.): „οὐκ ᾔδειτε, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με; ignorabitisne, me esse debere in iis, quae sint patris mei, in aede Deo sacra, s. in negotiis patris mei?“ Quibus in verbis ponitur, quod Jesus jam tunc temporis munus divinitus delegatum in se intellexit. *)

Parentes, qui verborum sensum illius non capiebant (V. 50.), quoniam alia ab ipsorum filio exspectabant, Jesus Nazaretham, patriam urbem, obedienter sequitur (V. 51.), ubi apud patrem, cui in opificio tractando auxilio fuit, permansit usque ad trigesimum annum, ut verosimillimum est ex Marc. VI., 3.

Lucas et Matthaeus Jesu gentis inde a patriarchis deducunt, Luc. III., 23—28. Matth. I., 1—17. Quae, ut multa alia, pertinebant Judaeis ad notionem illorum Messiae expectati. Johannes baptista regnum Messiae morale et Jesum annuntiat, Matth. III., 1—12., Marc. I., 1—8., Luc. III., 1—18. coll. Joh. I., 6—8. 15. 19—28., et baptizat, aqua immergit, Matth. III., 13—17., Marc. I., 9—11., Luc. III., 21. 22. conf. Joh. I., 29. sqq., ejusque de

*) *Reinhard's* Beyträge l. l. ad h. l. pag. 298. sqq. *Müller's* neue Ansichten l. l. ad h. l. S. 175. ff.

Jesu testimonium. Profitetur Johannes ll. cc., Jesum ipso majorem, spiritu sancto instructum esse. —

Jesus in deserto ad munus futurum se praeparat, Matth. IV., 1—11., Marc. I., 12. 13., Luc. IV., 1—13., more prophetarum. Tentatio seu sollicitatio Jesu, quae his locis narratur, re vera non facta, sed aut tanquam parabola, quam invenit probus Judaeo-Christianus, aut tanquam narratio, ore propagata, Judaeo-Christiana, quam evangelistae exceperunt, sumenda esse mihi videtur. Tota narratio fortasse discipulis exemplum esse potuit, quemadmodum tentationes vincerent. Quae sententia secundum evangelistarum relationes, quippe qui in his poëtica et elatiori oratione usi sunt, verosimillima esse videtur. *)

Postquam Jesus audiverat, Johannem baptistam ab Herode captum esse, (cf. Matth. IV., 12., Marc. I., 14., Luc. III., 19—20.), in Galilaeam, frequentatissimam et naturae amoenitatibus prae ceteris insignem Judaeae provinciam, quam tres evangelistae Jesu dictorum factorumque testem maxime describunt, profectus, Matth. IV., 12—17., Marc. I., 14. 15., Luc. IV., 14. 15. Ibi primum docet, ad meliores mores adhortatur, regnum Messianum, βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, regnum morale, **) annuntiat. Nazarethi in schola docet, nonnullorum assensu, sed, quum in patria urbe sperneretur, Luc. IV., 16—30., cum Nazaretho Capernaum commutavit sedem, et loca, quae hanc urbem circumjacent, testem factorum destinavit, Matth. IV., 13—36. Postea in societatem suam adscivit Jesus viros, quibus praecepta sua tra-

*) cf. Interpretes ad ll. cc. — cf. *Zöllich* „d. Gesch. der Versuchung Christi. Ein Maschal." (In Dr. *Heydenreich's* Quartalschrift d. Predig.-Wissenschaft. 1826. 1. Bds. 2. Hft. S. 1—36.

**) cf. Interpretes de hac voce. — cf. *Fleck*, F. F., „de regno Christi" Dissert. Lips. 1826. in 8 maj.

deret, et ita ad alios propagaret. — Cum his versabátur, utpote qui amici essent, non inani superbia elatus, neque ut Judaeus Rabbinus gravem in discipulos exercens potestatem. Quae non vetanda erant, non vetuit, et opprobriis, quae ob hanc rem ei facta sunt, cum sale respondit. Quanta fide erga discipulos suos usus sit, docent patientia, qua eorum vitia ferebat, ratio, qua eorum interrogationibus, saepe puerilibus, respondit, opera, quam eorum superbiae, negligentiae vel stultis exspectationibus deprimendis dedit, denique ultima sua praecepta, quibus penitus sentiendi agendique rationem suam iis revelavit, et consilium regni coelestis moralis instituendi aeque ac eorum sortem iis communicavit. Quantam ipsam lenitatem et benignitatem ostendit in proditorem suum! Facillimo modo Jesus hominum animos sibi conciliavit, saepe paucissimis verbis. In omnium bonorum animis tali modo amorem sibi paravit, qui adeo, cum mortuus esset, non deleri posset. Animi ejus magnitudo praecipue elucet ex ea, quam in monte habuit, oratione, Matth. V—VII., coll. locis parall. apud Luc., et quae quidem, singulis diversis temporibus habita, composita esse videtur. Ex illa videmus, quam notionem regni divini sibi finxerit, et qua in re istic dignitatem et felicitatem hominum ponebat. Praedicat praecipue beatitudinem ejus, qui, integer animi et vitae, pacis amans, patiens, demissus et misericors, semper officiis exsequendis studet. Felicem esse, qui innocens miserias subiret, in altera vita manere eum felicitatem maximam. Qui in regni sui societatem venire vellent, sal vel lumen terrae sint, oportere, (cf. Matth. V., 13. 14.). Animum generosum, severitatem in se ipsum, indulgentiam et studium, mala bonis superandi, amorem erga persecutores et hostes, perfectionem

secundum imaginem divinam sine studio mercedis, talem sentiendi rationem beatam post mortem praebere vitam. Formae sermonum Jesu Christi in tribus prioribus Evangeliis maxima certe vindicanda est existimatio, cum universae rerum conditioni, auditoribus ac temporis locique rationibus tam congrua et apta videatur, ut summum magistrum ipsum nos audire persuadeamur.

Sive respicias res, sive dictionem et formam, amabili simplicitate, acuta brevitate, eximia venustate in verbis, phrasibus, parallelismis ac imaginibus lectissimis oratio ejus conspicua est. Sermones Christi didactici omnes et singuli totidem sunt exempla, quae manum magistram significant. Quidquid ad coelestem veritatem animis insinuandam aptum judicaret, γνώμας, παράδοξα, adagia, similitudines, verba potentia, narrationes auxiliaque ex litteris sacris, historiae recessibus, naturae adytis emergentia, sedulo, prudenter ac scite adhibere cordi summopere habuit, ὅμοιος οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐκβάλλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά, ut de se ipse praedicat, Matth. XIII., 52. Hinc illae conciones, singulares et unicae, humana artificia superantes, nominatimque Rabbinorum institutiones immenso intervallo post se relinquentes, teste ipso populo, qui admiratione loquentis percullsus abreptusque satis intelligerat, eum docere ὡς ἐξουσίαν ἔχοντα, καὶ οὐχ' ὡς οἱ γραμματεῖς, Matth. VII., 29. Priores evangelistae exhibent nobis Jesum inexhaustum in fingendis parabolis et imaginibus, nunquam spinosas quaestiones proferentem, aut notionibus, quas philosophi nostri abstractas vocant, utentem. — In prioribus evangeliis Jesu Christi auctoritas et dignitas, munerisque ipsi demandati gravitas, praeclara doctrinae indoles, magnum et egregium inceptum regni coelestis abunde explicantur et commendantur.

Videmus Jesum enixe laborantem in divulgandis μυστήριοις τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, (Matth. XIII, 11.) parabolarumque serie docentem, quomodo hoc regnum ab exiguis et tacitis veluti initiis per varia discrimina ad summum honoris fastigium sit perventurum (Matth. XIII — XXVI.). Natura speciesque ac officia bonaque praesentia et futura illustria hujus regni, virtutes item, quae introitum praeberent, modestia imprimis ac fiducia et fides, cupiditatum moderatio, rerumque terrestrium despicientia, singulari divinoque veri nominis zelo, saepe a Jesu depinguntur. Conspicimus servatorem in Evangeliis variis locis, cum diversis hominibus agentem, nec alienum ab iis rebus, quae ad vitam communem, privatam, domesticam, et mores hominum cujusvis sortis ac conditionis pertinerent; sicque allicimur ad concentum omnium virtutum considerandum, consociatam intuentes gravitatem cum comitate, sublimem sensum cum familiari, dignitatem cum simplicitate animique magnitudinem cum indulgentia et ad infimos descendente humanitate; quo efficitur, ut cum reverentia tantarum virtutum amorem integerrimum conjungamus.

Sunt praeterea priores evangelistae copiosiores in significanda methodo, *) qua summus magister discipulos suos verbis, factis, exemplis instituerit sensimque eo provexerit, ut hi viri, infimo loco nati, ac in telonis aut cymbis educati, ejus testes satis idonei essent usque ad fines terrarum (Act. I., 8.); nullatenus ab eo abducendi, imo medios inter gladios et flammas negotium suum persequentes. Quo opere

*) cf. *H. L. Ballauf* liber: „d. Lehrart Jesu, als vortrefflich und nachahmungswürdig gezeigt.“ Hannover. 1817. in 8.

tam stupendo successu commendato, evangelicae historiae miraculo haud minimo, reverentia nostra erga rei Christianae auctorem non potest non augeri; considerantes ejus animorum explorandorum et tractandorum peritiam, in docendo sapientiam, in monendo prudentiam, in arguendo mansuetudinem, in ignoscendo et tolerando indulgentiam et patientiam incomparabilem. — Denique, ut historiae Jesu Christi extrema subeuntis duraque et ultima perpessi, a prioribus evangelistis tractatae, brevis fiat mentio, quot et quanta (a Johanne silentio praetermissa), invenimus, quae ad imaginem perficiendam haud parum conferunt, totidemque sunt excelsi animi, in ipsis cruciatibus emicantis, fiduciaeque in Deum immotae, ac constantiae ad ultimum suspirium invictae documenta ac veluti opposita sigilla vere divini. *)

B. Comparatur ac conciliatur imago indolis et ingenii Jesu Christi secundum evangelium Johannis cum ea secundum reliqua evangelia. [1])

Maxima diversitas evangelistarum in Jesu adumbrando in eo tantum ponitur, ut Johannes τόν λόγον evangelio praemittat, de quo reliqui tres evangelistae nihil referunt. Quod vero explicandum est partim

*) cf. *Bretschneider* „Dogmatik I., S. 450 — 456." „Ueber die Göttlichkeit des Sohnes Gottes nach den 3 ersten Evangelisten." §. 74. — cf. *Valett*, M., J., J., Dr., (Rector Gymnas. Stadens.) progr.: „Jesu Christi de nobis merita, secundum Matth. Ev." 1826. in 4. (8 pagg.)

[1]) cf. (V. *D. Henr. Planck*) progr. „quid consensus et differentiae inveniatur apud auctores N. T. in persona Christi τοῦ σωτῆρος adumbranda quaeritur." Gottingae (Dieterich) 1823 in 4. (pagg. 16.)

ex ingenio Johanni, ut scriptori, proprio, (individualitate), partim ex consilio, quod unusquisque eorum in scribendo evangelio sibi proposuerat, partim ex aliis argumentis, quae infra videamus. Eadem ratione Matthaeus et Lucas capitibus prioribus supranaturalem conceptionem, Jesum natum etc. referunt. Ut ille λόγος Johanni ad notionem Messiae, filii Dei, pertinebat, sic etiam Matthaeus et Lucas Jesu nati historiam ad eandem referebant Messiae notionem, quam hi magis modo Judaico, secundum theologiam de Messia Judaeis propriam, excipiebant, Johannes vero alio altiori modo. Cur Marcus vero nihil de λόγῳ, nihil de Jesu nato etc. referat, eadem ratione est explicandum. —

Jesus secundum evangelium Johanneum, specie tantum, diversus seu alius est, quam ille trium priorum evangelistarum; hi enim exponunt indolis et ingenii magnitudinem, ut ille:

α. Johannes ex τῷ λόγῳ, qui cum Jesu Christo, cui πνεῦμα ἅγιον etiam fuit, conjunctus erat (vid. supra, sub A. a.)

β. reliqui evangelistae ex τῷ πνεύματι ἁγίῳ, cum Jesu conjuncto.

Ambas voces πνεῦμα ἅγιον et τόν λόγον synonyma esse, demonstrant S. V. *Stäudlinius* *), *Eichhornius* **), *Hemsenius* ***), *Winzer* †) aliique. Si hoc multi, ut

---

*) cf. „Lehrbuch der practischen Einleitung in alle Bücher der heiligen Schrift. Göttingen 1826. S. 223. ff.“

**) Einleitung ins N. T. Thl. 3. §. 162. S. 158. ff.

***) Authentie etc. S. 178. S. 127. ff. S. 134. ff.

†) [*Winzer*] progr.: „num quid discriminis inter τόν λόγον, Johanni apostolo dictum, et τό πνεῦμα intercedet, denuo quaeritur.“ Lips. 1819. in 4. — cf. *Wegscheider's* Einleitung S. 124. ff.

praesertim *V. D. Bretschneider* (in Probab., in ejusd. Lexico in N. T. et in „Dogmatik, Thl. 1. S. 441. ff.) concedere nolunt, tamen concedendum esse mihi videtur, ambas voces ad idem subjectum, Jesum, referri, praedicata, quae τῷ πνεύματι ἁγίῳ dentur, etiam τῷ λόγῳ attribui, et omnino alteram vocem ad alteram, ut partem ad totum, se habere. Johannem doctrina τοῦ λόγου (λογολογίᾳ) nihil aliud, quam ipse et reliqui evangelistae vocibus „Χριστοῦ, υἱοῦ τοῦ θεοῦ, υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, Ἰησοῦ," etc., significare voluisse, jam ex rite perpenso fine (Joh. XX., 31. cf. infra sub litt. γγ. N.) lucide apparet. *)

Johannes dicit, cum Jesu primum τὸν λόγον, deinde etiam τὸ πνεῦμα ἅγιον conjunctum esse. Tamen non inferiori loco Jesum in tribus illis evangeliis positum esse, neque minorem ipsum sibi gloriam majestatemque adsciscere, luce est clarius. Priores enim tres evangelistáe de Jesu conditionibus eadem, qua Johannes, oratione utuntur: „*Jesus est Dei filius, a Deo, ipsius patre, missus.*" etc. cf. Joh. III., 16., VIII., 18. 19. 26—29. 54. 55. et alibi, coll. Matth. III., 17., (coll. XVII., 5.), VIII., 29. XI., 27., XII., 50., XIV., 33., XVI., 16. 17. (coll. Joh. VI., 68. 69.), XVIII., 10., XXVI., 63., XXVII., 43., XXVIII., 19., Marc. I., 10. 11. (VIII., 29.), XIV., 61. 62., Luc. IX., 20., X., 22., XXII., 67—70. (XXIV., 49.) —

„Jesus est *coelo demissus*, et *in coelum ad Deum redibit.*" etc. cf. Joh. III., 13., VI., 38., VII., 33., XVI., 5. 10. 28. coll. Matth. XXVI., 64., Marc. XIV., 62., XVI., 19., Luc. XXIV., 51. Act. I., 9.

„Jesus *majestatem et gloriam* pristinam (δόξαν) *recipiet.*" etc. cf. Joh. XVII., 5. 21. sqq., coll. Matth. XVI., 27. (coll. Luc. IX., 26.), XIX., 28., XXIV., 30. sqq.

---

*) cf. Crome, l. l. Pag. 213. 300. sqq.

Jesu *scientia hominum* ac *morum,*" etc.
4. 25., VI., 64., XVI., 30. coll. Matth.

ipsi proximorum Jesu *praescientia* eo-
aestimatio;" cf. Joh. VII., 6—8. et al.,
VI., 21., XVII., 9. 22—23., XX., 19.,
ll. parall. ap. Luc. et Marc. —
entium scientia Jesu." cf. Joh. XI., 4.
VIII., 13., XV., 28., XVII., 27. (Luc.

a *Deo conjunctio Jesu ejusque divina*
l. III., 35., V., 17—19 sqq., VI., 37.
., 27—30., XIV., 9. sqq., XVI., 14
—7. 10. 11. 21. 26. coll., Matth. III.,
), VII., 21. sqq., IX., 6. (coll. XVI.,
8., Joh. XX., 22. 23.), X., 32. 33.,
I., 41., XVII., 5., XVIII., 19., (coll.
tth. XXI., 24—27., XXV., 31. sqq.,
VII., 43., XXVIII., 18—20., Marc.
7—20., Luc. I., 32. 33. 35., II.,
, 32. sqq. etc.
racula Jesu apud Joh. (v. c. XI.,
iis apud reliquos evangelistas. —
concedendum, quartum evange-
novum quendam et quasi inau-

a Jesum apud hominum maxi-
tem, potestatemque a Deo sibi
(ἐξουσίαν καὶ δόξαν) spectandum
oo postremo lenitatem ejus at-
m ac venustatem, in ea, qua
nsuetudine auspicere ac vene-
ius praecellentis animi linea-
(αν) animadvertere. Summa
a et ingenii lineamenta in
iis eadem sunt.

Evangeliorum diversitas de Jesu Christo describendo in verbis tantum posita est, non vero in re ipsa. Quod sequenta argumenta demonstrabunt et explicabunt.

aa. Lingua et oratio (Sprache und Ausdruck.) *)

Quum de hac re (vid. nota) jam multa scripta sint, pauca monere hic sufficiet.

Johannem in evangelio Graeca lingua puriori ea, quam ceteri evangelistae magis hebraizantes, usum esse, multaque sibi propria verba adhibuisse, inter omnes constat. **) Johannes enim litteris non adhaesit, sed summam potius Jesu doctrinae ejusque adventus in terras conscripsit, eaque tantum elegit, quae ad ejus consilium pertinebant.

Summa Johanneae orationis et linguae ornamenta sunt simplicitas, brevitas, vivacitas et aequabilitas. Quum Johannes tanquam *αὐτόπτης*, ab iis fontibus ***), ex quibus haurire potuisset, non penderet, lingua

---

*) cf. *Eichhorn's* Einleitung in's N. T. Thl. 2. §. 175. S. 258, ff. — *Wegscheider's* Einleitung S. 253. ff. „Ueber die Ursprache des Evgl. Joh. und S. 278. ff. über den schriftstellerischen Character des Joh.“ — *Niemeyer's* Characteristik der Bibel. Theil 1. S. 452. ff. — *Schulze*: „über den schriftstellerischen Character und Werth des Joh. S. 106. ff. — *Lücke* Commentar Thl. 1. S. 85. S. 99. ff. 101. ff. S. 151. — 125. ff. — *Hemsen* l. l. S. 119. ff. S. 180. ff. — *Stein* l. c. S. 81. ff. — *Herder* christl. Schriften 3te Sammlung S. 220. ff. — *Crome* l. l. S. 214. ff., „über Styl, Schreibart des Evgl. Joh.“ S. 315—321.

**) cf. *Seyffarth* l. c. S. 29. „Ueber Sprachcharacterisirung §. 11. Und über die dem Joh. eigenthümliche Terminologie“ S. 46. — 133. — *Crome* l. l. „über eigenthümliche Ausdrücke und Ideen des Evgl. Joh. in Hinsicht des λόγος u. πνεῦμα θεοῦ,“ S. 299—315.

***) cf. *Crome* l. l. „über die Quellen etc. des Evglist. Joh.“ S. 296. ff. —

evangelii multa propria et ab aliorum dictione aliena habere debuit. Sed in ejus tota terminologia nihil est, quod re ipsa ab illa eorum abhorreat. *) Vox λόγος unicum tantum est, quo Johannes a ceteris differt. Hoc verbum, quod ex scriptis Veteris Testamenti in philosophiam Alexandrinam venerat, Johannes, ut omnibus notum, praemittit, quoniam id non late interpretatur; sed tamen non multi momenti in illo adhibendo eum posuisse, demonstratur eo, quod in prooemio evangelii tantum illo usus est, et nunquam deinde doctrinam de λόγῳ repetiit. Inde sequitur, ut haec doctrina de λόγῳ evangelii res summa Johanni non fuerit **). Ut unusquisque evangelistarum propria nonnulla in lingua et oratione habent, sic praecipue Johannes, qui omnium sibi est constantissimus.

ββ. *Forma et argumentum* ***).

Evangelium Johanneum est sibi constans totum originale suoque modulo compositum opus, ex se pendens, sua sponte natum ac se ipsum explicans, ad plura item eaque altiora tendens. Initio evangelii Johannes doctrinam de λόγῳ dogmaticam ponit, quam deinde prosequitur. Evangelia *eorum* mera sunt historica, *Johanneum* vero dogmatico-historicum, et inde singularis ejus prodit forma. — Johannes, evangeliis illis, quae, an cognoverit, dubium non est, jam in vulgus editis, coepit; quorum sum-

*) cf. *Seyffarth* l. l. S. 51.

**) cf. *Usterii* l. l. pag. 3.

***) cf. *Wegscheider* l. c. S. 308. ff. „Ueber das Verhältniſs des Inhalts und der Form des Joh. Evgl. zu dem Inhalte und der Form der drei übrigen." — cf. *Schulz* l. c. S. 180. ff. — *Stäudlin* l. l. §. 65—66. S. 210. ff. — *Stein* l. c. S. 89.

mam denuo repetere, abs re sane fuisset, cum et alia restarent memoria digna, consilio suo inservientia. Diversum inde prodit argumentum. —

Accedit diversitas argumenti istorum sermonum. Hujuscemodi discipulorum instructiones et exhortationes, aut vitae aut muneris rationem istae ad coronam tantopere mixtam, in campis et ad maris et fluminum oras subito confluentem, habitae orationes; illa praecepta e rebus fortuito obviis prognata et singulari vitae et animorum modo atque indoli accommodata, qualia leguntur in tribus prioribus evangeliis, — nonne alio prorsus pede moduloque metienda sunt, quam quae in Johanneo occurrunt? Nonne in *illis* Parabolae, ut in *hoc* Allegoriae suus locus? Ceterum et in prioribus evangeliis haud raro eandem orationis formam similemque sermonum Jesu colorem, dum eadem argumenta tractant, conspicimus ac in Johanneo, exempli causa: Matth. VII., 21. sqq., XI., 7—14., XIII., 11—17., XV., 13. sqq., XVIII., 1—5., Luc. X., 21. sqq., XII., 1—10. alibi.

Nec forsan a re est, observasse, quantam metropolis, quae fere solum est apud Johannem dictorum factorumque Jesu theatrum, et Synedrii et incolarum odium et fanatismus vim habuerint in Jesu animum, eumque tristibus dirae necis auguriis repleverint; unde sermonibus ejus, quem saepius spirant, tristior et commotior sonus extitisse videtur. *)

N. *Descriptio seu adumbratio* (Darstellung. **)

Johannes omnia interno connexu pragmatice describit, quemadmodum animi vivacitas et ingenii altitudo poscit, omnia suo more adumbrat.

*) cf. *Crome* l. c. S. 58. ff. 314. ff.

**) cf. *Hemsen* l. l. S. 127. ff. 151. — *Lücke* l. l. Thl. 1. S. 151. — *Stein* l. l. S. 82. — *Stäudlin* l. l. §. 59. S. 237. ff.

Huc referenda sunt duo, quae Johanni soli propria sunt: primo, ei peculiaris executio et probandi ratio thematis, „Jesum esse Messiam;“ — quod reliqui evangelistae historice demonstrant, Johannes vero in primum principium, divinum πνεῦμα et λόγον, recedens, dogmatice praecipue; deinde, in toto evangelio nulla sanationis daemonici aegroti fit mentio. Quod inde est explicandum, ut Johannes de hac re jam meliori cognitione imbutus sit. — (cf. sub ζζ. Tempus etc.)

Cum diversis nimirum hominibus Jesus apud Johannem et ceteros evangelistas sermones contulit; apud priorem cum sacerdotibus et populi senatoribus; apud posteriores maxime cum populo Galilaeo. Paulus quoque apostolus cum Atheniensibus aliter, quam cum Galatis, disseruit, nec perperam fecit. Ita et Christus.

ב. *Interpretatio seu explicatio* (Deutung.)

Johannes theosophicam divinae Jesu majestatis, magnitudinis ac dignitatis interpretationem conatur. Quare saepe non tam clarus et perspicuus est, quam reliqui. Talis enim interpretatio s. explicatio elatior finis et consilii Jesu, ut mundi servatoris, (τοῦ κόσμου σωτῆρος, ζωῆς, φωτὸς,), non tam plane dari potuit, quam simplex illorum priorum narratio. *) Saepe etiam Johannes ipse verba Christi suo ingenio interpretatur, quamquam non omnia Jesu verba semper recte intellexit. **)

γγ. *Finis, in quem conscripserunt evangelia evangelistae:*

א. *Johannes.* ***)

Johannes in adornando evangelio certum riteque

---

*) cf. *Schott* progr. supra l. pag. 6.

**) *Hemsen* l. l. S. 164. ff. 170.

***) cf. *Hemsen* l. l. S. 141. ff. — *Wegscheider* l. l. S. 264. ff.

perpensum finem disertis verbis: „ταῦτα γέγραπται, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ,“ Cap. XX., 31., expressum, persecutus est; cui tenendo omnia aptata recteque composita sunt. Consilium ejus igitur est apologetico didacticum. *) — Sed ad sententiam VV. DD. *Bertholdt* **), *Ziegleri* ***), aliorumque †), Johannem controversum seu polemicum consilium in scribendo evangelio habuisse, assumendam, nulla sunt mihi argumenta. — Scripsit Johannes, quod porro adtendendum, lectoribus longe aliis, non Judaeis in Palaestina, sed ecclesiis Asiae minoris, Hellenistis et ex Graecis Christianis, qui, diverse sentientes, diversum rerum pertractandarum et delectum et expositionem postularent. —

Ut, qui evangelium suum tunc temporis lecturi essent, quonam sensu Jesus sit ὁ χριστὸς et servator mundi (XX., 31.), bene intelligerent, meliori, quam qua usus est, ratione in componendis dictis factisque Jesu, demonstrari non poterat. Omnia, quae magis ad Judaeos, qua tales, et Palaestinenses Judaeos, quam ad exteros, et magis ad vitam privatam, quam

---

— *Creme* l. l. „über Quellen und Zweck des Evgl. Joh.“ S. 296—299. — *Kuinölii* „Commentar. Proleg. §. 5. pag. 61. sqq. — *Usterii* l. c. pag. 11. — *Schmidt's* Einleitung §. 63.

*) cf. *Kaiser* commentatt. 3. de apostologeticis evang. Joan. consiliis etc. (supra pag. 6. laud.) —

**) *Bertholdt's* Einleitung Theil 3. §. 344.

***) *Ziegler's* Bemerkungen über das Evgl. Joh. etc. (in *Gabler's* N. Theol. Journal. Bd. 9. St. 1. S. 20.

†) *Storr* „über den Zweck der evangel. Gesch. und der Briefe des Joh.“ Tübingen 1786. — *Russwurm* „Johannes der Donnerer.“ Stendal 1806. coll. *Lücke* Commentar. I., 132. sqq. —.

publicam pertinerent, argumento evangelii minus congruebant.

Urbs sola, terrae Judaicae caput, ejusdem vicinia apud Johannem est scena, in qua agitur; in templo Jesum versantem et pro concione populi de divina sua legatione et auctoritate dicentem conspicimus.

ב. *Reliqui evangelistae* *)

ad idem consilium quidem tendentes, eundem finem attigerunt, nec alium potuerunt, Jesu vitam enarrantes; verum hi auctores id non deliberato consilio voluerunt ac simpliciter rem digesserunt. Qui tamen pluribus comparationibus Jesu doctrinae (v. c. Matth. IV., 14. sqq.), factorum (ibid. VIII., 16. 17.), fatorumque (ibid. XXI., 4. 5., XXVII., 9. 35. et alibi), cum Veteris Testamenti effatis, (quo spectant formulae: „ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν“ etc.), ad idem scopum, ad quod Johannes, se tetendisse, ostendunt, demonstraturi, Jesum esse Christum, filium Dei, υἱὸν τοῦ θεοῦ (sc. sensu *metaphysico*). —

Scripserunt tres evangelistae Judaeis Palaestinensibus. Hinc res insignes in Galilaea gestas potissimum prosequuntur. Iis fuit id inprimis consilium, ut Jesum tanquam Messiam, Judaeis promissum et doctorem populi, qui regnum Messianum, (τὴν βασιλείαν) annuntiaret, describerint. —

ii. *Thema seu summa historiae Jesum describendae.* **)

א. *Johannes*

e vita, dictis factisque Jesu ea elegit, quae ad finem (supra expressum) praecipue congruebant, temporis

---

*) cf. *Eichhorn's* und *Stäudlin's* Einleitung. de hac re et Alii.

**) cf. *Hemsen* I. I. S. 136. et Alii. —

Pars II.

seu specialis, exegetica,

singulorum de Jesu Christo locorum Johannei evangelii, cum illis, in tribus prioribus evangeliis obviis, comparationem continens.

Pauca quidem apud Johannem reperiuntur, quae verbotenus fere cum reliquis evangelistis consentiuntur, singula vero et verbis et argumento consentanea sunt. — Quae ad faciliorem conspectum apta essent, omnia haec Johannis loca consentanea cum reliquis evangelistis in formam tabulae redegi, et comparationem iisdem conjunxi:

Tabula

singulorum locorum in Johannis evangelio obviorum, quae partim cum aliis locis in reliquorum evangeliis conferenda, partim optime concilianda sunt:

Joh.	*Matth.*	*Marc.*	*Luc.*
I. 6. 7.	III. 1. 2.	I. 4.	III. 2. 3.
15.	11.	7.	16.
18.			10. 22.
19 sqq.	13.	9.	3. 15. 21 sqq.
23.	3.	2. 3.	4.
26. 27.	11.	7. 8.	16.
28.	6.	6.	3.
32—34.	16.	10.	21. 22.
	11.	8.	16.
	17.	11.	22.

suavissimoque affectu nati; vivida idearum associatione ac imaginatione amabili quadam simplicitate temperata; mente divino veluti numine afflata, pulchra quaevis ac honesta, excelsa item atque sublimia amplectente. — Intima insuper, ut nullus reliquorum discipulorum, gaudebat Jesu familiaritate; de cujus erga se voluntate adeo tangebatur, ut nullo alio nomine ornari mallet, quam Jesu amicissimi; τοῦ μαθητοῦ, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ὃς καὶ ἀνέπεσεν ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ, (cf. Matth. XVII., 1, XX., 20., XXVI., 37., Marc. IX., 38., X., 35., XIV., 33., Luc. VIII., 51., IX., 28., XXII., 8. coll. Joh. XIX., 25—27., XX., 2., XIII., 23., XXI., 7. 20.). Quae omnia majorem in apostoli scriptum, quam in cetera evangelia, vim habuisse, imo non potuisse non habere, in promptu est. — Pauca profecto fuerint scripta, quae tantopere, dum aliena tractant, auctoris animum geniumque prodant exhibeantque; quae, dum alterius mentem moresque delineare student, propria mentis penetralia aperiant. Quaecunque de dilectissimo graphidis objecto disserit, ut sunt amore et fervore perfusa! Quanta mentis elevatio in ipsis evangelii primordiis! Omnia majestatis, gratiae et bonitatis Jesu filii, (υἱοῦ τοῦ μονογενοῦς) sensum exprimunt! Singula Jesu facta et vitae momenta ad eventum festinans, ac in medias res lectorem rapiens, conglomerat, paucis expressisque lineis ea adumbrans (Cap. I.); in aliis, quae a ceteris evangelistis omissa sibi elegisse videtur, longius moratur, (v. c. Cap. IV., IX.). Longissimus est in narrandis ultimis Jesu diebus et horis, in sermonibus valedicentibus, quorum quaevis vox et quodvis levissimum momentum ei curae cordique sunt. Accurate recenset quaecunque honori amici et doctoris inservire sibi videntur. — Praecipue in historia passionis et mortis Jesu Christi

enarranda animus et singularis sentiendi modus apostoli apparet, tum si ea, quae ceteri evangelistae narrant, contrahit, tum si ex suis addit. — Sic Petri obnegationem absque dubio ex indulgentia erga condiscipulum (Matth. XXVI., 69. sqq. coll. Joh. XVIII., 25.) et Jesu cruciatus, ut animo et dolori parceret, in brevius coëgit, (Matth. XXVII., 67. sqq., XXVI., 26 — 31. Joh. XIX., 2. 3.). — Adjecit, quae Jesu animi magnitudinem et in humillima ejus depressione demonstrare possent, (v. c. XVIII., 33. sqq.), aut quae prae aliis suae animi teneritati responderent. (v. c. cap. XIX., 26., XX., 11—17., XXI., 15. sqq.)

Quum hac ratione res gestas narret, nonne et in sermonibus Jesu, ab eo exhibitis, apostoli animus et peculiaris sentiendi ratio vim suam exserere debuit? — Eorum tenor jam haud dubie suo propior erat, cum jam intimo consensu inter se conspirarent.

Johannis tantummodo mens et spiritus evangelium tale πνευματικὸν potuit praebere, quod, si cetera auroram, summum lucis splendorem refert. —

§§. Tempus, quo evangelistae evangelia scripserunt:

א. *Priores tres evangelistae.*

Quanquam tempus omnino non satis certe definiri potest, quo evangelistae opera scripserunt, tamen verosimillimum esse videtur, tres priores ante annum 70. evangelia edidisse.

ב. *Johannes* *)

illis serius scripsit eo tempore, quo quae Christus de Judaeorum templique fatis gentiumque vocatione praedixerat, jam eventu erant probata, et notio rei Chri-

*) cf. *Kuinoel* l. l. §. 6. pag. 80. sqq. — *Schneckenburger* l. l. pag. 108.

stianae per omnes fere terras orbis Romani percrebuerat. Graviter inde hinc Johannes, Palaestinensis, animo commotus, multos Christi sermones et totum ejus opus nunc melius perspexit; aucta et amplificata de Messiae dignitate ac consilio, universo orbi salutifero, opinione, quod in evangelium componendum haud dubie vim habuit magnam. — Quibus omnibus argumentis, junctim sumtis, omnes diversitates, in comparanda Jesu ingenii et indolis imagine secundum Johanneum evangelium cum ea ab illis prioribus ficta, optime explicari possunt ac penitus delentur. Omnia etiam, quae speciem contradictionis prae se ferunt in evangeliis, demonstrant imo integritatem et authentiam, et alterum ab altero invicem non dependisse.

Si comparamus inter se evangelia, ex omnibus, quae jam supra demonstravimus, elucere putavimus, indolis et ingenii Jesu Christi imaginem ex solis tribus prioribus evangeliis repetitam, quoad praecipua, non differre ab ea, quam evangelium Johannis exhibet; neque plane aliam servatoris mentem aut disparem agendi rationem in reliquis evangeliis ac in Johanneo deprehendi. Ut apud tres priores evangelistas Jesum semper agentem et docentem (Matth. IV., 23., IX., 35. sqq., Marc. I., 39., Luc. IX., 11.) factaque doctrinae jungentem (Marc. II., 3—12.), ita in evangelio Johannis eum conspicimus. Sicut in illis discipuli utrumque conjungere jubentur, (cf. Marc. III., 14. 15.; Luc. IX., 1. 2., X., 9.), sic et in Johanneo (XIV., 11. 12. al.). Ut in istis miracula ejus praemia fiduciae erant, quam non solum sibi ut doctori, sed ut legato et filio Dei flagitabat, sic et apud Johannem (XI., 26. sqq., XIV., 11. 12., IX., 40.); atque in cupiditatem miraculorum nimiam et superstitiosam, qua Judaeorum haud pauci flagrarent,

dicta hic reperiuntur (Joh. IV., 48., VI., 29. sqq. alibi), in reliquis quoque non desunt *) (cf. Matth. VII., 22., XII., 27., XVI., 1—4., XII., 38—42., XIV., 13—23., Luc. IV., 42., X., 17. 20., Marc. III., 20—22.). Certe non infitiandum erit, magnam de fatis factisque Jesu Christi opinionem animo effinxisse Johannem, cum ei pro „φανερώσεως τῆς δόξης αὐτοῦ," II., 11., totidem sint documentis, „Ἰησοῦν εἶναι χριστὸν, υἱὸν Θεοῦ", XX., 31.; historiamque nominatim resurrectionis tanta, nec minima negligente, cura conscripserit, quia ea sibi, ut ceteris apostolis, pro argumento valuit luculentissimo, „ὅτι κύριον καὶ χριστὸν ὁ Θεὸς ἐποίησεν Ἰησοῦν ἐσταυρωμένον" (cf. Act. II., 22., Rom. I., 4.). Ut in his, sic in illo Jesus interdum ad vaticinia et miracula provocat. **)

Ex iis itaque, quae exposita sunt, enitescere, patereque videtur, evangelium Johanneum a ceteris non tanto intervallo distare, neque in rebus tam gravibus, ut nonnulli censent, (praesertim *V. D. Bretschneider* in Probab.), differre; servatorem optimum maximumque non minus in prioribus, quam in Johanneo, pro dignitate munere, mentisque indole loquentem et agentem apparere; fundamentumque, quo dignitas ejus Messiana ac divina causae suae et doctrinae auctoritas nititur, in omnibus evangeliis unum esse idemque. —

Cuncta autem evangelia imagini Jesu Christi, cui nil desit, delineandae, inserviunt, immo necessaria sunt.

---

*) cf. *Herder* „vom Erlöser der Menschen" I. I. S. 94. ff. — *Schott*: „de consilio, quo Christus miracula edidit."

**) cf. *Stäudlin*: „Jesus, der göttliche Prophet.". Göttingen 1824. in 8.

C. Brevis delineatio indolis Jesu Christi et ingenii imaginis secundum quatuor evangelia.

Ex tota Christi vitae historia apparet, Jesum sapientissimum, probissimum, omnibus virtutibus praeditum et benignissimum hominem fuisse. — Sapientia ejus non est doctrina litterae, sed ingenio superat omnia, quaecunque animi virtutum in ejus populo ad cognoscendas, adhibendas et exprimendas utiles, religiosas praesertim atque morales veritates, unquam inventa erant. Ei fuit maximum ingenii acumen atque simplicitas, (cf. Matth. VIII., 19 — 22. [coll. Luc. IX., 58 — 62], IX., 12. 13. 15 — 17., XI., 4. 5., XII., 25. sqq., 48 — 50., XV., 3 — 6. 11., XVI., 2. 3. 6. 11. 25. 26., XIX., 14. 17., XX., 26. 27., XXI., 23. 24., XXIII., XXII., 15 — 22. 32., XXV., 26. 27., Marc. XII., 41 — 44., Luc. XIII., 1. sqq., Joh. VIII., 2. sqq. 39., XVIII., 19 — 23.), summa vis judicandi, *) conveniens constantia, maximaque circumspectio. Si hanc animi vim illamque doctrinae ejus sapientiam cum auxiliis, quibus tunc temporis ad ingenium excolendum uti poterat, comparamus, hoc solum jam ad res novas et memoratu dignissimas pertinet. (cf. Joh. III., 34., I., 46., VII., 15., Matth. XIII., 54. sqq.). — De *sapientia* Christi, *qua sensim sensimque discipulos* edocuit, cf. Matth. V — VII. (V., 10 — 14. 17. 20. 44., VI., 19 — 24., coll. Joh. XIII., 18.), Matth. XI., 25. (coll. Luc. X., 21.), XVI., 6 — 12. 21. 24 — 27., Luc. XII., 15., Matth. X., 1. sqq. 25., XVIII., 3., Joh. XIII., 4 — 17., XV., 15., XVI., 4. sqq., 12. sqq. etc. — De Jesu sollertia, naturae ac hominum magna scientia, animi tranquillitate et aequa mente, cf. Luc. XVI., 8., IX., 47. sqq., X., 40 — 42., VII., 10. sqq., XXIII., 28. 34., Matth. VIII.,

*) cf. *Winkler* l. infra laudat. pag. 57 — 62.

10., Marc. X., 46., Joh. II., 24. 25., VI., 6. 12. 23. 64., XVI., 30., XVIII., 4., XIX., 26. 27. (coll. Matth. XII., 25.), etc.

Tum in ejus dictis, quum in actis *) summa pietas ubique est conspicua. Ad omnia religiositate impellitur. Conscientia dignitatis et consilii, (cf. Luc. XIX., 10., V., 32. [coll. Matth. XV., 24.], Joh. X., 16., Matth. XVIII., 11.), cui exsequendo in terram est missus, nunquam ad superbiam eum seducit. Ejus pietas summa est animi morum, ac vitae sanctitas, (cf. Joh. VIII., 46., XVIII., 38., XIX., 4—6., Matth. XXVII., 4. [coll. 1. Petr. II., 22.]), maximi amoris et officiorum severissima conservatio, veneratio Dei mente et cultu interno, (cf. Joh. IV., 23. 24. [coll. Joh. I., 18.], Luc. VI., 12., VIII., 28., Matth. VI., 6., 9—13., XIV., 23., Marc. VI., 46., Joh. XVII.). Semper Dei praecepta obsequitur, Deumque imitatur verissima generis humani caritate ac humanitate, (cf. Joh. IV., 34., [V., 30., VIII., 29.,] XIV., 31., XV., 10., Luc. II., 49., Matth. XII., 46. 50., XXVI., 39—42.), quae nunquam eum relinquunt ejusque constantiam animi usque ad vitae extrema sublevant, (cf. Luc. XXIII., 43. 46., Joh. XVIII., 4., XIX., 30. etc.)

In Jesu est complexus omnium virtutum, quarum fons est purissimus. Omnia fecit, conscientia recti et officii persuasus; ubique assiduis laboribus occupatus, adhibuit omnes vires ad optimos fines in commodum hominum, (cf. Joh. IX., 4. 5., V., 17.). Undique magnis periculis, callida ac humillima adulatione atque minis, quibus virtus exponitur, tentatur,

*) Jesu dicta (cf. Matth. VII., 28. 29., Marc. I., 22., Joh. VII., 46., Matth. XXII., 46.) et facta (cf. Luc. XIII., 17.) admiratione sunt dignissima.

(cf. Joh. VII., 47. sqq., VIII., 48., Matth. VI., 5., XXII., 15., XXIII., 6. 14., Marc. XI., 18., Luc. XI., 15., XX., 20.), nunquam victus est; semper aeque constans fuit, ut honoris illecebris resisteret, et injustitiae vexationi animum praesentem, constantem et patientem opponeret; *) tamen haec omnia humano modo sentiens, sed, quamquam natura et ingenio lenissimus, (cf. Matth. XI., 29.) et in mitissima animi affectione, (v. c. Joh. XVII.) nunquam usque ad animi imbecillitatem mollis fuit. — In rectissima sui existimatione, semper moderatissimus, in maxima modestia, (cf. Marc. VII., 36. coll., Joh. VI., 2. 3. 15., V., 30., Matth. VIII., 20. (coll. Luc. IX., 58.), XI., 29., XX., 28., Joh. XIII., 5. sqq., Luc. XXII., 27. (coll. Phil. II., 5—8.), nunquam dignitatem obliviscens, in conscientia meritorum, tamen ab obtrectatione in feliciores atque ab invidia longe abest, in humilitate et egestate, nunquam querens, non gravis aliis fuit, semper exemplum vivum ejusdem integerrimae virtutis, quam morum doctrina ejus docet. — De Jesu *animi magnitudine*, *clementia* ac *amore erga inimicos*, cf. Luc. XXIII., 34., Joh. VIII., 39. sqq. coll., Matth. V., 44. sqq., XVIII., 22., 1. Petr. II., 20. sqq. —

De *aequitate* Christi in judicandis aliis, quibus *meritam* laudem vituperationemque tribuit, cf. Marc. XII., 31—34., Luc. IX., 54. sqq., XVII., 17. sqq., Joh. VI., 70—71., Matth. VIII., 10., XV., 26. sqq., XVI., 23., XVII., 17., (Joh. II., 14—16. coll., Matth. XXI., 12. 13., Marc. XI., 15—17., Matth. III., 7.), XVI., 21—23., XXIII., 13. sqq.) —

*) De firma *veritatis amore* Jesu, cf. Joh. XVIII., 37. (VII., 18.) VIII., 14. 45. (coll. 1. Petr. II., 21. sqq.) etc.

Si probitatem Jesu indoli adscribimus, quae tantum propensa est, omnibus viribus ad agendum in commodum aliorum, suas rationes saluti aliorum postponens, hac ratione etiam Jesu indoles ab alio nunquam superata est. Consilium, quod Jesus in instituenda doctrina secutus est, spectat ad omnes homines, qui religione ejus felices redderentur. Hoc consilium ostendit, primo, maximam sapientiam, mentem perspicacem et altam generis humani scientiam, porro maximam animi constantiam ac robur, cautam efficacitatem mentis meliori cognitione imbutae, maximam denique animi bonitatem seu probitatem summamque benignitatem erga totum hominum genus.

Fiducia, in Deo ejusque auxilio divino posita, (cf. Joh. VIII., 29., XI., 42., XVII., 1. sqq., Marc. VII., 34.) animum ejus erexit. Nemini majore jure, quam Jesu, nomen amicissimi *) hominibus nullique

*) De Jesu *amore* maximo et ardentissimo erga discipulos et *omnes* homines, cf. Matth. IX., 36. 38., XI., 28—30., Luc. XIX., 41. sqq., Marc. VIII., 1. sqq., X., 21., Joh. XI., 5. 33. sqq., XIII., 1. sqq., 33—35., XIV., 1. sqq., XV., 9—13. 15. 16., XVII., 9. 19. 20. sqq., XX., 19. sqq. (coll. 1. Joh. III., 16.).

De Christi caritate in infantes cf. Marc. X., 13—16., Matth. XIX., 13—15., (coll. XVIII., 2. sqq.)

De Christi *indulgentia* ac *humanitate* erga *peccantes*, cf. Matth. XVII., 17., XXVI., 40. 41., Luc. XXII., 31—34. 46. 61.

De misericordia Jesu, cf. Marc. I., 41., III., 5., VI., 34., VIII., 2. Luc. VII., 13., XIX., 41., Joh. XI., 33. sqq. etc.

De *amore* ac *obsequio* Christi erga *parentes*, erga *matrem* praesertim, cf. Luc. II., 51., Joh. XIX., 25—27.

digniori inditum est. Jesus verba et doctrinam cum vita et factis in maximum consensum adduxerat. *)

---

